



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 2. Altera Athanasii abdicatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul. XIV.

A.C. 1312.

p. 1207.

vertere, quod esset contra jus naturæ ac divinum. Præterea Imperator ac Rex Robertus non sunt æqualiter subjecti Ecclesiæ secundum res profanas: Imperator solum defensor ejus est, nec ab ea quidquam habet: Rex ei subjectus, ac ejus cliens est, ab eaque regnum habet suum. Denique si Imperator se submitteret Papæ veluti clientem Ecclesiæ, violaret jusjurandum, quod dedit de conservandis Imperii juribus. Secundum hæc responsa recusatis induciis Imperator coram pluribus Notariis ob id solum accitis palam asseveravit se fidelitatis juramento nemini obstrictum esse, neque se aut antecessores suos simile edidisse unquam. Sed Papa hanc agendi rationem permolestè tulit.

§. II.

Altera Athanasii abdicatio.

Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus octavo post suum reditum anno nempe 1310 dignitatem suam iterum missam fecit: quod ita contigit. Quidam eorum, qui acerbum animi sensum & inimicitiam adversus illum retinebant, eundem præesse tamdiu ægre videntes ablato scabello de patriarchali ejus folio, ibi pinxere imaginem Christi & ad latera Imperatorem Andronicum injecto

*Nic. Greg.**l. 7. c. 9.**Sup. lib. 90.**§. 26.*

injecto ori freno instar equi tractum a Sæcul.XIV.
 Patriarcha Athanasio: tum scabellum in A. C. 1312.
 loco pristino reposuere. Visam pictu-
 ram mirati quidam hunc velut impium
 apud illum ea de re accusarunt. Impe-
 rator accitos delatores, quin iidem mali-
 tiæ hujus authores essent, non dubitans,
 in carcerem durissimum perpetuumque
 misit. Sed Patriarcha, quod non gra-
 viores subirent poenas, indignatus proti-
 nus sedem reliquit suam; non tamen hac *Boivin.not.*
 sola de causa: nam compertum est Theo- *in Greg.*
 phanem de fidissimis ejus ministris unum *p. 763.*
 pro adjumento ad sacros ordines acce-
 pisse munera; & Athanasius id non i-
 gnorasse dicebatur etsi perperam: eidem
 alia quoque impingebantur.

§. III.

*Niphon Patriarcha Constantino-
politanns.*

Biennio post Niphonem Metropolitam
 Cyzicenum ad Constantinopolitanam
 sedem patriarchalem transtulit voluntas
 Imperatoris & obsequentia Præsulum.
 Erat homo in Theologia & litteris huma- *Greg. l. 7.*
 nioribus adeo rudis, ut ne scribere qui- *c. 9.*
 dem nosset. Vix eas primoribus labris
 degustaverat, cum sufficere naturale in-
 genium ratus ad obtinendas divitias